





Roterodamum, Hollandiae in ostio Roteri flu. opp. magni illius Desiderii Erasmi patria.

<https://hdl.handle.net/1874/349722>



G7301292
VIII B. K. 43

ROTERODAMVM



ROTERODAMVM, Erasmi natalib. nobilitata, ciuitas est in Hollandia Septentrionali, quæ olim Frisia occidentalis dicta est. Eam à Rathero, qui Francorum Regum ordine XXIII. fuit, circa annū Christi, LXIX. esse conditam, ex Trithemio, vt videtur, in Chronologia sua adnotauit Ioannes Funckius. Vernacula lingua dicitur *Rotterdam*, cuiusmodi frequentes sunt vrbes in ea prouincia, quæ desinunt in *dam*, velut *Amsterdam*, *Sparēdam*, *Munckedam*, *Eedam*, *Schedā*, & plures alia, quæ omnes ad fluminis alicuius obiectum condite apparent: *Dam* enim Hollādica lingua, propriè molem significat, quæ flumini obijcitur, ne prorsum fluat. Sunt, qui *Dā* interpretentur aggerem, sed multorum opinione ineptè, vt enim verba diuersa sunt, *Dicken* & *Dammen*. Ita diuersa sunt, *agger* & *mole*, quæ his respondent. *Agger* enim propriè maris est, & cum transfertur ad flumina, eorum latera tuetur, vt intra aluicum suum coërcētur. *Dam* verò vt ad mare nihil pertinet, ita etiam fluminum non latera, sed frōtem duntaxat sustinet. Interdum etiam flumini in transuersum iniicitur, sic vt ipsum flumen hæret. Ideo quæ huiusmodi plerèque ciuitates vel portum habeant, vel traiectum, vel etiam vtrumque. Nomen obtrinet potissimum vel ex conditore molis, vt *Munckedam*, *Monachorum mole*, & *Roterdam*, *Ratheri mole*, vel ex fluuio ipso cui mole est imposita, vt *Amsterdam*, mole obiecta fluuio *Amstella*, & *Sparēdam*, Mole obiecta fluuio *Spareno*, & *Eedam*, mole obiecta fluuio *Ee*, quem iam nominat *Vilhelmus Hermannus Olandus* in opere de bello *Geldrorum* & *Hollandorum*. Eodem nomine etiam in *Frisia* celebris fossa est, qua *Leonardia* nauigatur *Doccomium*, quæ vulgò ibi dicitur *die Ce*, hoc est *la*. Huius ciuitatis occasione, deprehenditur error *Becani*, in reuocandis exterarum gentium vocabulis ad *Etymologias* linguæ *Cimbricæ*, seu *Brabanticæ*. Est, inquit, in sua *Hermanrena Etham*, nomen solitudinis, ad quam venerunt filij *Israël* profecti de *Socot*, eademque dicitur & *Sur Exodi* 13 Num. 33. Et interpretatur fortitudo eorum, aut vomer, vel aduentus eorum, siue figura eorum. Hic vide, quomodo ludat *Becanus*, Nominis *Etham* *Etymologia* eandem esse asserit, quæ est nominis *Edam*. *Edam* enim hætenus, inquit, in *Hollandia* oppidum est, de præstantissimis caseis satis nobile, quod dico, vt quiuis intelligat, vocè nobis hætenus in vsu esse, non alio variatam, quàm quòd tenuis litera apud *Hebræos* pro media ponatur, quod ideo minus mirum est, quod contra, ac ratio postulabat, *Tau* perpetuò proferant aspiratum. Hęc ille: *Quis* igitur iam nõ credat *Etham* eiusdem *etymologiæ* esse cum *Eedam*? cum tam exili tantum discrimine discrepēt? Et quis proinde veram significationem nominis *Etham*, non ab *Hollādis* requirat potius, apud quos hætenus, tor scilicet *faculis*, vox hæc incorrupta in vsu est, quàm ab *Hebræis*, qui tametsi modicè, pro suo tamen more, eam variarunt? Hoc igitur fundamento iacto, insert *Becanus* ex *etymologia* nominis *Eedam*, quid *Etham* verè significet: Est autē *Dam*, inquit, *agger* fluctibus obiectus. *Ee* verò legitimum, fidum, & iureiurando, summo omnium firmamento stabilitum significat. Ita, vt *Eedam* nihil aliud sit, quàm *agger* perpetuus nullo modo à quoquam violandus aut rumpēdus, quippe, qui sit ab ipso terrarum creatore constitutus, æterno ipsius iureiurando fundatus. Hęc hætenus in suis *Etymologijs* *Becanus*.

Est autem *Roterodamum* oppidum, cum opinione hominum vetustum satis, tum splendidum & copiosum, *Mosæ* flumini propinquū, *Schidamo* vnico miliari, *Gouda* verò tribus distat, lanificio & panni textura celebre, habens & iustum populi numerum, & scitè ad modum constructas cedes, quarum, quæ *D. Laurentio* sacra, facillè princeps, & splendida est, & sumptuosa. Ciues opulētī, marina nauigatione celebrem hancum piscationem, & exteram mercaturam exercent, ab annis plurimis hæreseos nouitati fauentes, modò *Caluinianæ* perfidiæ vnà cum cæteris inuoluti. Conflagratione perierat ciuitas pro magna parte anno 1563. sed mox erectis longè pulchrioribus quàm ante aedificijs, pontem lapideum miræ magnitudinis simul construxerunt. In cuius eminentiori parte, suum *Erasmum* lapidea statua, in perpetuum monumentum donarāt: quàm *Hesperici* in exordio *Batavici* tumultus, qui in *Belgicam* perduellionem hucusque durantem excreuit, demoliti sunt anno 1572.

Hęc partim ex *Hermatena Goropij Becani*, partim ex illustrium *Germaniæ* scriptorum catalogo *Cornelij Callidij Chryfopolitani* excerptissimus.